



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephvs hoc est, Sanctissimi Educatoris Christi Dom.  
Deiq. nostri in Terris apparentis, ac Æternæ Virginis  
Mariæ Sponsi Vitæ Historia**

**Stengel, Carl**

**Monaci, MDCXVI.**

Cap. IX. D. Iosephus Mariam cum Iesv infantulo legis obseruandæ gratiâ  
Ierosolymam deducit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42004**

ingruebat namq; citò nimis hora discessus eorum, postquam nimirum admoniti ab Angelo, de versutia & fraudibus Herodis, & de viâ, quam in reditu tenere deberent, consolatione pleni regrederetur ad patriam. Porò S. Iosephum id responsi ab Angelo accepisse, & inde magis insinuassee, videtur innuere P.

Iosephum  
Magos de  
viâ monu-  
isse-

*Carthag.*  
*tom. 2. l. 4.*  
*hom. 9.*

Carthage, dum ita scribit: *Revera Ioseph Archangeli munus perfectissime exercuit, cum tribus Regibus Magis, ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam iter suum facerent ex diuino, quod acceperat, oraculo, eis nunciavit, ut satis indicant verba Matthæi. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.*

*Iosephus Mariam cum IESV infantulo, legis obseruanda gratiâ Ierosolymam deducit.*

CAP.



C A P V T I X.

**Q**Vadragesimo à Virginis partu die, ante quem ab ingressu templi arcebatur puerpera, ascendit Iosephus cum Maria coniuge sua, è Bethlehem Ierosolymam, vt legem Purificationis implerent, oblaturi par tur- turum, aut duos pullos columbarum: tum etiam & alteram, qua præcipiebatur, vt omnis mas in lucē primus editus, Deo sanctus exhiberetur. Quis hinc cogitare sufficiat piissima colloquia, quæ sacerrimi hi coniuges per illud iter difficultatis plenū, & sex circiter miliarium, miscuerint? Nonnullus meritò eos nubes appellari contendit ex iis verbis Danielis: *Ecce cum nubibus cali quasi filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum.* Sacra enim Virgo Maria, & Ioseph nubes

Iosephus  
Mariam  
cum IESV  
Ierosoly-  
mam de-  
ducit.

Alfons.  
Gen. con. 4.  
de purif.  
Dan. 7.

sho-  
quam  
gelo,  
Iero-  
u re-  
e ple-  
Por-  
si ab  
magis  
re P.  
t: Re-  
perfe-  
gibus  
ed per  
ex di-  
nun-  
Mat-  
is, ne  
viam  
tulo,  
y-  
AP.



bes cæli verè dicuntur. Nam si Apostoli sancti, sacriq; Doctores & Prophetæ nubes vocantur, qui terrena despicientes, velut nubes in alta conscendunt, atque ad ea, quæ sunt priora, (vt *Philip. 3.* Paulus ait) extendunt seipfos, qui multitudine diuinæ scientiæ pleni, cælestium mysteriorum imbres continent: imò & de iustis omnibus, qui culparum grauedine expediti cõuersationem in cælis habent, aptè intelligitur admiratio illa; *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?*

*Ibid.*

*Esai. 60.*

Quantò potius Mariam, & Ioseph cæli nubes appellabimus, quæ continuerunt & seruaerunt cælestem illorum rorem, atque pluuiam gratiæ, & veritatis: quam Euangelicus Propheta anxio desiderio postulabat: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Nubes Spiritus sanctus est, qui  
super

*Esai. 45.*



super Virginem descendit, illiusque uterum diuino spiramine irrorauit, atque repleuit: ipse nubes est illa lucida, quæ transfigurato Domino in monte Thabor discipulos obubrauit. Nubes est & alma Virgo, quæ de cælesti rore filium conceptum, velut desideratissimum imbrem nobis effudit, atque hodierno die, ut vniuersum orbem inciperet irrigare, in templum detulit. Nubes utique sunt cæli Maria & Ioseph, per altissimam, cælestem & verè angelicam conuersationem, meditationem, ac cælestia desideria sublimes.

Matth. 17.

Igitur cum puerum IESUM inducerent in templum, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, adfuit ilicò Simeon diuino adductus spiritu: qui, ut puerum, ac matrem vidit, & agnouit, Deo mirabiliter indicant-

Ingrèditur templum.

L te



te, accessit properè, & contem-  
platus eum, cum summâ volu-  
ptate è sinu virginis suscepit, &  
suis ipse brachiis complexus, at-  
que tam eximio beneficio exhi-  
laratus, summas Deo gratias pro  
eo egit. Mirabantur autem ma-  
ter pueri & Ioseph, super his, quæ  
dicebantur de illo; quæ admira-  
tio non quidem ex ignorantia  
vt in alijs accidere solet) sed ex  
rerum maximarum ampliudi-  
ne manabat. Ad quos Simeon  
conuersus benedixit eis. Super-  
uenit autem & Anna Prophetis-  
sa, quæ vicissim etiam collauda-  
bat Dominum, & magnificè lo-  
quebantur de illo omnibus Iero-  
solymitis, qui expectabant re-  
demptionem Israel. Quâ super-  
ueniente completa est solemn-  
is Ecclesiæ processio, quæ tunc ce-  
lebrata est. Ambo igitur illi in-  
terfu-



terfuere, ambo, inquam senes & Quo ordi-  
 etatis proeclatæ, ambo sanctita- ne proces-  
 te pares, deuotione similes, ca- serint.  
 stitate æquales, pietate concor-  
 des, eodem affectu & desiderio,  
 eademq; spe desideratum cun-  
 ctis gentibus Saluatorem expe-  
 ctantes, & ante Euangelium, Eu-  
 angelicę puritatis ac pietatis pri-  
 mitias dedicantes. His igitur se-  
 nibus hodierna processio com-  
 pleta est, quã Virgo mater ad tẽ-  
 plum Domini filium oblatura  
 processit. Contemplantur hic  
 pij viri, quo ordine processerint?  
 Antecessisse nempe duos venerabi-  
 les senes, Simeonem & Iosephũ,  
 cum exultatione magnã iubilã-  
 tes. Ponẽ sequutam virginem  
 Matrẽ puerum Regem Regum  
 gestantem gremio, quam Anna  
 ex latere vadens associãrit. Qua-  
 tuor igitur hodie insignes perso-  
 næ



omnes vir-  
tutes desi-  
gnantur  
his perso-  
nis.

Galat. 4.

Iosephum  
Christi pa-  
trem vo-  
cari posse.

na simul procedunt, quæ nobis  
omnia virtutum officia (vt Gu-  
erricus ait) ante oculos ponunt.  
In Annâ, quæ ieiunijs & oble-  
crationibus nocte ac die serue-  
bat, ieiunium commendatur, &  
oratio. In Simeone, qui tanto  
IESVM amplexus est gaudio, pie-  
tas & deuotio. In Maria, quæ cū  
nihil purificandum haberet, pu-  
rificationis tamen legem imple-  
uit, humilitas & obedientia. In  
Domino autem IESV; qui factus  
ex muliere, factus est sub lege, ut eos  
qui sub lege erant, redimeret; chari-  
tas & misericordia.

In Iosepho autem magna di-  
gnitas, cui hîc sicut & alibi sæpi-  
us honorificentissima Patris  
Christi nomenclatura obtrigit, vt  
nos omnes alliceremur ad hô-  
norandum beatissimum Iose-  
phum, sub hoc celeberrimo ti-  
tulo Patris Christi, qui adeo ex-  
celsus



celsus est, ut quondam præ se fe-  
 rat auctoritatem super Christū,  
 quo nihil sublimius dici potest.  
 Et quidē in primis *Christi Pater* ap-  
 tē cōuenit vocitari, quia, ut do-  
 cuit Augustinus, ipse Christū Do-  
 minum in filium adoptauit, &  
 paterna omnia officia, quæ pa-  
 tres exhibere solent, diligentissi-  
 mē IESV præstitit: verba D. Au-  
 gustini hæc sunt: *Nec enim propte-*  
*rea non erat appellandus Ioseph pater*  
*Christi, quia illū non genuerat; quan-*  
*do quidem rectē pater illius esse potuit,*  
*quem non ex sua coniuge procreatum,*  
*aliunde adoptasset; cui sanē adopti-*  
*oni Christus consentiens, visus*  
*est, planē in patrem suum lega-*  
*lem illum elegisse. Licet enim,*  
*ut obseruauit D. Damascenus,*  
*Iosephus naturā pater IESV non*  
*extiterit, tamen, quia ex Christi*  
*electione in patrem suum ipse e-*  
*um assumpsit, iure quidem ho-*

*August. l. 2*  
*de consen-*  
*su Euang.*

*c. 1.*

*Damasc.*  
*orat. 13.*



norificum adoptiui patris IESU  
nomen sibi vendicat, & velut pa-  
tri, obedientia & honor illi de-  
betur. Et quidem non parùm Iosephum commendat, quod ille,  
cuius filij adoptiui sunt Marty-  
res, Confessores, Apostoli, & om-  
nes Sancti, ipse Iosephi ado-  
ptiuus filius esse voluerit. Ger-  
son quoque ait: *Cur igitur non  
competat ipsi Iosepho ius aliquod legale  
ultra ceteros homines in benedicta pu-  
eri IESU formatione, quoniam natum  
est in eâ: & ex eâ carne, cuius domi-  
nium jure matrimoniali verè transla-  
tum erat in ipsum?*

*D. Bern.*

*Serm. 3. su-  
per Missus*

D. Bernardus vocat D. Iose-  
phum *Nutritium Christi*, nihil au-  
tem frequentius apud infantes,  
quam nutritium nutricis virum,  
patrem suum compellare; tanto  
autem magis nomen hoc patris ei  
conuenit, quanto exactius, ac di-  
ligentius nutritij munus ergà IESU

SVM



IESV SVM exercuit, ac sedulam eius curam gessit. Hinc diuus Chry-  
 sostomus eleganter dixit: Nam quia ex Spiritu sancto est, idcirco te à ministerio tantæ æstimes desponsationis extraneum; nam, etsi nihil habeas in hoc generatione commune, tamē quod est proprium patris, quodq; nihil latis Virginis dignitatem, hoc tibi facile concedo; quamquam enim non sit filius tuus, tu tamen curam erga illum, & sollicitudinem ostendis parentis.

Chryf. ho.

4. in Matt.

lis itaq; suprâ quæ retulimus, ita peractis, quinq; iuxta legem, oblati siclis, suum Deipara Virgo redemit infantem. Ac, vt perfecerūt omnia secundum legem Domini, Iosephus consurgens accepit puerum, cum Matre eius, egressus est Ierosolymâ. Dubium est autem quonam discesserint. Nazaretham post purificationem eos concessisse, & ex ipsa ciuitate Angeli monitu

Quinque  
 siclis IESVS  
 redimitur.

Quonam  
 postea se  
 contulerint.



*S. Ansel.**Matth. 2.**Euthym.**ibid.**Abulens.**ibid.**Chryf. ho.**9. in Matt.**Theoph. in**Matth. 2.**Aug. lib. 2.**de conf.**Euang. c. 5.*

in Ægyptum contulisse, sententia est D. Anselmi, Euthymij, Abulensis, Chrysofomi, Theophylacti, & aliorum.

D. Augustinus autem & alij nonnulli arbitrantur post purificationem Angelum Iosephum de fugâ admonuisse, antequam Nazaretham rediret, admonitum verò Iosephum, protinus infantem in Ægyptum transtulisse, ex Ægypto verò in Galilæam, & Nazarethâ reuersum esse,

*D. Iosephus Angeli monitu puerum cum Matre ducit in Ægyptum.*

### C A P V T X.

*Causa fugiendi in Ægyptum.*

STupendum est consilium Dei viuientis in probandis & purgandis electis suis per tribulationes & angustias. Vix hi sancti coniuges cum puero reuersi fuerant in Nazareth, nec dum duos menses